

multiplicatus. Anque idem sit cum eo quem materialem vocant, quem nudum omnium formarum actu, potentia omnium capacem, non aliter ac materiam illam, unde eductus est, asserunt esse. Ideoque nullas illi rerum formas essentialiter ingenitas esse  
5 ac propterea vanas illas scientiarum reminiscentias his in libris logicis ostendere annexus est. Sed scientias esse recentes ac novas omnino notitias, quas itidem sensuum ministerio acquirere nos singulares primo, deinde suo opere universales effici docet<sup>ii</sup>.

### Discrimen Platonicae et Aristotelicae dialecticae

10 [in margine]

Hoc primum ac summum est in Dialectica inter Platonem atque Aristotelem discrimen. Duae primae conformitates primas notitias a sensibus oriri, scientiam esse effectus cum causae connexionem. Sed haec postea etiam clarius.

15 **Dianoeae descriptio** [in margine]

Potentiam eam animae, quae a singularibus per sensum acceptis notitiis universales illas vel revelaret vel affingeret causasque effectibus vel annecteret vel connecteret; uterque voce eorum linguae *διάνοιαν*, *dianoeam* vocavit, quo nomine nos quoque,  
20 quia latine proprie exprimi non potest, posthac utemur. Hanc *dianoeam* Plato in *Sophista* sic descripsit:<sup>1</sup> *Nonne ergo dianoea et sermo idem? Praeterquam quod illa intra animam ad se ipsam dialogus sine voce factus est, hoc ipsum nobis nominatum est dianoea?* Et paulo post:<sup>2</sup> *Dianoea quidem ipsius ad se ipsam animae dialogus est.* Qualis

<sup>1</sup> οὐκοῦν διάνοια μὲν καὶ λόγος ταῦτόν; πλὴν ὁ μὲν ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὐτὴν διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος τοῦτο αὐτὸ ἡμῖν ἐπωνομάσθη, διάνοια; [PLATO, *Sph.* 263.e.3 – 5]

<sup>2</sup> διάνοια μὲν αὐτῆς πρὸς ἑαυτὴν διάλογος τῆς ψυχῆς. [PLATO, *Sph.* 264.a.9]

<sup>ii</sup> Corr. ex docent